



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XXX. An possit reus in Ecclesia bonis suis, & instè possessis, quæ secum
ad Ecclesiam transtulit, spoliari? Vbi etiam de bonis aliis, & an possit his
per Iudicem laicum spoliari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

nitas Eccles. num. 18. & Bonacina *disput. 3. quest. 7. de immunit. punct. 5.* Et probatur, quia alioquin esset illum per indirectum ab Ecclesia extrahere (cogere- tur enim, quod ipsemet se potestati seculari tradat. & moriatur) & sic esset per indirectum aduersus Eccle- siarum immunitatem operari ; quapropter reum in persona, vel in bonis ludentes, etiam oblidendo, vel prohibendo, ne eis victus, aut vestitus deferatur, va- riis pœnis afficiuntur, tum de iure civili, vt in *cit. l. 2. §. l. presenti, Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* tum etiam de iure canonico, vt in *cit. cap. definiti, & aliis iuribus supra allegatis. Vide Suar. cap. 13. num. 7. & Azorium loco cit.* Non tamen in dictis iuribus cen- sura feruntur ipso facto, sed sunt ferendæ.

Hinc sequitur, quod si reus in Ecclesia existens, non habet unde, neque de suo, neque de bonis con- sanguinei, vel amici viuatur, teneatur Ecclesia alimenta illi præstare, ex *dict. l. presenti, §. siue, Cod. de his, qui ad Eccles. confugunt*; & à simili de custode carceris, qui prouidet captiuis, *Cod. de Episcop. audientia*, vt Iudices, & *glos. in cap. definiti, 17. quest. 4.* Et ratio esse potest, quia cum sub Ecclesiæ protectione sit, par est, quod Ecclesia, vt potest pia, eum non derelin- quat, ne ductus necessitate, seculari Iudici se tradat. Atque ita docent Abb. in *cap. inter alia, de immunitat. Eccles. num. 28.* Archidiacon. in *cap. de iur. iur. 17. q. 4.* Hugo ibidem, *Ignis in l. 1. num. 47. Angel. verb. Im- munitas, quest. 22. Sylu. eodem verb. 3. num. 5. Azor. 2. part. lib. 9. cap. 9. quest. 13. Decian. tract. crimin. lib. 6. cap. 29. num. 3. Boëtius decis. 303. num. 3. & Farinacius cit. quest. 28. num. 9. & in append. de immunit. cap. 19. num. 299. & Peregrinus cap. 13. num. 12.* quidquid in contrarium dicat *Barpus de iure Asylorum, cap. 2. fol. 30.* Vide etiam Rodriguez *tom. 2. qq. Regular. quest. 50. art. 3.* & Sorbum in *addition. ad Comp. pend. priuileg. Mendicat. vers. Ecclesia Fratrum*, qui subdunt, id posse facere etiam Regulares, non obstante excommunicatione quadam Sixti V. pro Regno Neapolis; cum hæc, vt inquit ipsi, reuocata sit per Constitutionem Gre- gorij XIV.

Dixi, si reus in Ecclesia existens, non habeat, vn- de neque de suo, neque de bonis consanguinei, vel amici viuatur; quia si habet propria, vel consanguinei, vel amici bona, debet ex his se sustentare; quæ si ta- men præsto non habet, tenetur Ecclesia supplere; ipse tamen manebit obstrictus ad compensandas expensas, quia tunc Ecclesia præsumitur solum velle subuenire præsentī necessitati, non autem absolute donare: S. Thom. *quodlib. 5. art. 17. & Sylu. verb. Immunitas, 3. num. 5.* Quod si autem simpliciter non habet bona, ex quibus possit se sustentare, tenetur Ecclesia simplici- ter subministrare, quia tunc ille se habet tanquam pau- per, cui Ecclesia, seu Ecclesiasticæ personæ tenentur subuenire, vel de proprio, vel applicando aliquid pro vultu pauperum deputatum. Quod tamen intelligo, si reus non possit manibus laborando victum sibi quæ- rere; quia si potest, & sit solitus, debet laborando si- bi prouidere; cum priuilegium immunitatis non de- beat esse occasio otiaudi; quapropter à Rectoribus Ecclesiæ cogi poterit, quod verbi gratia in Ecclesia, Conuentu, vel in alio loco immuni labore, inser- uiendo fabricæ, vel alteri operi, quando non potest alio modo sibi victum comparare; quia cum Ecclesia illi subministrat alimenta, par est, quod in compen- sationem operam illius exigat, si eam tamen præstare possit, & soleat. Vnde fit, quod possit etiam à Re- ctoribus Ecclesiæ cogi quod refarciat expensas pro ipso factas, vel det cautionem de refarciendo ante- quam à loco immuni exeat, aliàs ipsum non dimitte- re, sed retinere poterit, quia non debet Ecclesia de- trimentum pati ex beneficio præstato: quod tamen in- tellige, si reus non erat simpliciter pauper, sed pau-

per secundum quid, id est, non habeat præsto bo- na, ex quibus se possit sustentare, & præterea Eccle- sia liberaliter non sustentasset, quia in vtroque tali ca- su non sunt refarciendæ expensæ: non enim in priori; quia datæ sunt pro eleemosyna; neque in posteriori, quia donatæ sunt simpliciter.

Aduerte tamen hic, quod possit Iudex secularis cu- stodiam Ecclesiæ apponere, ne reus in de liberè aufu- giat, & si extra Ecclesiæ fines constitutus sit, eum ca- pere, & incarcerare.

Dixi, si extra Ecclesiæ fines constitutus sit, quia 8 meritò Couar. *cit. cap. 20. num. 17.* cum Ioan. An- drea, & Ioan. Igneo monet, immunitatem Ecclesiæ violari, si reus, cum solam vestem extra Ecclesiam posuit, extrahatur, & capiatur. Idem dicendum, re- ctè ait Villalob. in *sum. tom. 2. tract. 39. diff. 5. num. 4.* 9 vbi citat Couarrum, Paz, & Bobadillam, si capia- tur per aliquam pallij partem, quæ prominet extra te- ctum, vel valuas, vel quemcunque alium locum im- munitatem. Idemque dicendum, rectè ait Suarez *cit. cap. 12. num. 4. Peregrin. cap. 4. num. 61. & Bonacina disput. 3. quest. 7. punct. 4. num. 20.* si pedem, vel manum (capite, & aliis præcipuis corporis membris intra Ec- clesiam existentibus) extra Ecclesiam posuit; quia ad- huc in tali casu non extra Ecclesiam; sed in Ecclesia constitutus dicitur. Vnde cum Bonacina *loc. supra cit.* contrarium dicendum videtur de eo qui ambobus pe- dibus in via publica existit, & humeris solum Eccle- siæ parietes attingit; quamvis secus, si manibus fer- rum, vel valuum Ecclesiæ attingat, seu apprehendat, vt *dub. 9. sect. 6. dicebatur* contra Egidium Trul- lench. *tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 1. n. 12. & Diana part. 6. tract. 1. resol. 6. in fin. vbi non in probabiliter defendunt, eum, qui fugiens è manibus satellium cadit super limen portæ Ecclesiæ, & humeris, ac capite illam tangit, licet tibias, & pedes extra habeat, immunitate gaudere, ta- lis enim, inquit ipsi, præcipuas corporis partes, scili- cet caput, & humeros, habet in loco sacro.*

DVBITATIO XXX.

An possit reus in Ecclesia bonis suis, & iu- ste possessis, quæ secum ad Ecclesiam transtulit, spoliari? Vbi etiam de bonis, aliis, & an possit his per iudicem laicum spoliari?

S V M M A R I V M.

1. Reus bonis suis, quæ secum ad Ecclesiam transtulit, & iuste possessis spoliari non debet, adeò quod si quis eum in Ecclesia spoliauerit dictis bonis, quin & ar- mis, saltem non prohibitis, puniri debeat tanquam immunitatis Ecclesiasticæ violator.
2. Reus, si bona sint aliena, vel alteri obligata, potest pro- babili ex ipsis spoliari à Iudice seculari, cum hoc non sit illi nocuumtum inferre.
3. Item Reus potest à Iudice spoliari armis prohibitis, cum quibus ad Ecclesiam confugit, cum hoc etiam non sit reo nocuumtum inferre, sed peccandi occasio- nem auferre.
4. Item dic si faminam secum ad Ecclesiam rapue- rit.
5. Index laicus secundum probabiliorem opinionem non potest reum in Ecclesia receptum spoliare bonis, & armis, nisi de licentia Prælati Ecclesiastici; nam quod simpliciter possit, est de iure civili, non autem de iure Canonico.

Seruus indebitè fugiens ad Ecclesiam à domino, ex- trahi

trahi potest ab isto, at non propria auctoritate, sed cum licentia Episcopi, & praestito iuramento de non offendendo.

- 6 Accessorium sequitur naturam sui principalis, & dispositio facta de superiore, comprehendit etiam officialem.
- 7 Reum armis prohibitis, & rebus furtivis spoliare se habet, non per modum Iurisdictionis exercendae, sed per modum facti, & iuris defensionis naturalis.
- 8 In praxi observandum semper est, quod in spoliando reum in Ecclesia rebus alienis seu armis, semper intercedat licentia Praelati Ecclesiastici, quo tamen recusante per seipsum poterit.
- 9 Vbi parti aliquid tribuitur ut se vindicare sine Iudice possit, Iudex ut quid gerat, non censetur Iurisdictionem exercere, sed maius periculum vitare, ne privatus id prosequatur.
- 10 Iudex incompetens ob competentis defectum procedere potest.
- 11 Contra nocturnum furem unusquisque est Iudex.
- 12 Non obstat in casu, quod reus debeat spoliari à Iudice laico, quod sequatur aliqua irreverentia contra Ecclesiam, quia maior irreverentia est non auferre ab eo occasionem delinquendi.
- 13 Furtis receptio cum furto, furtum censetur.
- 14 Reus in quocumque euentu Parti laicae satisfacere debet.
- 15 Opinio Gambacurta, quod satellites Curiae secularis possint quando reus est in Ecclesia, inde fugiat, brachio apprehensum illum tenere, reuocatur.

Respondetur, quod non possit reus in Ecclesia bonis suis, & iuste possessis, quæ secum ad Ecclesiam transtulit, spoliari. Atque ita habetur in cit. cap. definiuit, ibi: *Aut quodcumque nobilitatis, & domini, seu spoliis residentibus in loco sacro inferre.* Et docent Couarr. lib. 2. var. resol. cap. 20. num. 16. Scortia Theor. 385. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 13. Farinac. citat. cap. 19. num. 100. Suarez lib. 3. cap. 12. num. 3. Lezana verb. Immunitas, num. 18. & 19. & Bonac. disp. 3. quest. 7. de immunit. punct. 5. Quapropter Congregatio super controuersis iurisdictionalibus 13. Ianuarij 1632. declarauit, quod aduersus auferentes hæc, etiam arma (saltem non prohibita) à configuentibus ad Ecclesiam procedendum sit, uti aduersus violatores immunitatis Ecclesiasticæ.

- Dixi, bonis suis, & iuste possessis, quia si bona sint aliorum, vel aliis obligata, poterunt probabiliter illis à Iudice seculari spoliari; cum hoc non sit ei nocumentum inferre, sed potius prohibere, ne ipse aliis nocumentum inferat: sicuti potest etiam armis prohibitis (cum quibus ad Ecclesiam confugit) ab eodem spoliari, cum hoc etiam non sit reo nocumentum inferre, sed peccandi occasionem auferre. Atque ita docent Suarez cit. lib. 3. cap. 12. num. 3. Layman n. 13.
- 2 Cutellius de immuni. Eccles. lib. 2. quest. 8. & videri etiam poterit Couar. loco supra cit. propè finem. Idemque dicendum, si feminam secum ad Ecclesiam rapuerit, quod possit etiam ea à Iudice seculari spoliari, cap. de raptoribus 36. quest. 1. & docent Suarez, Couar. & Layman. vbi supra Graff. tom. 1. lib. 3. consil. unic. num. 19. de immunit. Eccles. Sanchez in opuscul. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 14. Villalob. tom. 2. tract. 23. diff. 5. num. 11. Sarpum de iure A'ylorum, cap. 5. fol. 43. Na'dum verb. Ecclesia, num. 5. Franciscum Céspedes in dub. Militiar. dub. 21. Fagundez de prac. Eccles. prac. 2. lib. 4. cap. 4. num. 55. Portell. vers. Ecclesia immunit. n. 15. Ioan. de la Cruz part. 1. precepti. 8. quest. 3. art. 1. concl. 3. Gambacurta lib. 4. cap. 16. num. 11. cap. 17. & cap. 26. n. 11. Villadieg. in Polit. cap. 3. num. 214. qui omnes in eandem sententiam affirmatiuam conueniunt.

Quamvis etiam quoad hæc contrarium, si non fiat de licentia Praelati Ecclesiastici, multò probabilius doceant Peregrin. de immunit. cap. 13. num. 5. Diana part. 6. tract. 1. resol. 8. (vbi refert sic determinasse sacram Episcoporum Congregationem in Salernitana, die 30. Septembr. 1616. Maranta in controuers. iur. part. 2. respons. 37. num. 1. Zambellus in Repert. Moral. verb. Ecclesia quoad eius immunitatem, num. 9. Nouarius in sum. Bullar. tit. de immunit. num. 6. Palaut tom. 2. tract. 11. diff. unic. punct. 9. num. 10. Ciarlinius in controuers. forens. cap. 10. num. 16. Lezana cit. num. 19. & Farinac. in append. cap. 16. num. 248. vbi ait, quod contraria sententia procedat de iure ciuili, iuxta l. 3. §. arma, Cod. de his, qui ad Eccles. confug. ibi: *Arma quæque in quorvis telo, ferro, vel specie eos, qui confugiunt, minime intra Ecclesiam habere precipimus: non autem procedat de iure Canonico.* Et probatur, quia in cap. 1. extra de immunit. Ecclesiasticæ, & in cap. 2. de immunit. Eccles. in 6. expressè prohibetur sub pena excommunicationis Iudici seculari iurisdictionem aliquam in Ecclesia exercere: tum quia, licet seruus à domino ad Ecclesiam indebite fugiens, ei obtento iuramento de securitate, seu de non offendendo restituendus sit, adhuc tamen non potest propria auctoritate ex Ecclesia extrahi à domino, cap. nullus clericorum, 17. quest. 4. & videri potest Azor. part. 2. lib. 9. quest. 9. Decian. lib. 6. cap. 26. num. 9. Suar. de statu Relig. lib. 3. cap. 10. & Farinac. cap. 4. num. 67. & segg. tum quia non potest Iudex secularis, & in delictis exceptis, reum ab Ecclesia extrahere sine licentia Episcopi, vel eius Officialis (vti determinat Constitutio Gregor. XIV. & nos infra dub. 30. & 40. dicemus) ita nec poterit armis, & cæteris rebus prohibitis in Ecclesia reum spoliare sine licentia eiusdem Episcopi, vel eius Officialis; cum accessorium sequatur naturam sui principalis. Vide quæ dicebantur supra dub. 11. sect. 6. dub. 19. sect. 3. & dub. 24. sect. 8.

Quamvis responderi possit ad hoc, quod reum armis prohibitis, vel rebus furtivis spoliare se habeat non per modum iurisdictionis exercendæ, sed per modum facti, & iuris defensionis naturalis, & sic ea, quæ pro posteriori sententia dicebantur, nihil obstant.

At quidquid sit, an prior, vel posterior sententia in puncto iuris sit probabilior, illud (in quo conueniunt multi priores, & posterioris sententiæ Doctores, Couar. & Farinac. quest. 28. num. 58. Cutellius num. 18. & alij) in praxi sequendum mihi videtur, quod semper Ecclesiæ superior requirendus sit, ut ipse hoc præstet; quod si renuat præstare, occurrere periculo, atque per laicos ministros armorum prohibitorum, & rerum furtiuarum ablatio fieri possit, argum. ipsius Constitutionis Gregorianæ, per quam etiam permittitur, si Ecclesiæ superior renuat, reum extrahi, ac laicis ministris tradi, ac mancipari: quapropter si in personæ extractione permittitur, multò magis in armorum prohibitorum, & rerum furtiuarum ablatione permitti debet. Accedit, quod vbi parti aliquid tribuitur, ut se vindicare sine Iudice possit, Iudex si quid gerat, non censetur iurisdictionem exercere, sed maius periculum vitare, ne priuatus id prosequatur; ideoque etiam non habenti iurisdictionem id permittitur, ut dicitur de incompetente, quod ob competentis defectum procedere possit: Doctores 10 communiter, quos citat, & sequitur Cutellius in C. Nota 24. ad leg. Feder. ex. item pro Regibus fol. 145. & de debitore à creditore (absente Iudice) retento, aliisque exemplis, ad l. 1. Cod. quando liceat unicuique vindicare: Doctores etiam communiter, quos citabam, & sequebar lib. de Parlam. dub. 4. sect. 19. subsect. 6. & supra cap. 9. dub. 8. Vnde etiam fit, quod contra nocturnum furem unusquisque sit Iudex, l. si in pignore, §. furem,

furem, ff. de furtis, & l. furtum, ff. ad leg. Cornelianam de sicariis; ob delectum scilicet illius, qui iniuriam auertere possit.

- 12 Neque obstat, quod hinc aliqua irreuerentia ex ministrorum secularium opere sequatur; quia in tali casu timoris, quo arma prohibita in damnum commune, vel res furtivæ in damnum domini abscondantur, permitti ea debet, sicuti permittitur eadem in simili casu timoris, quo reus aufugiat, vel quod ab Ecclesiasticis dimittatur, & per hoc ipsum permittitur etiam laicis clerici personæ ipsius captura, præsertim quia ex opposito (quod scilicet reus armis prohibitis, vel rebus furtivis non spoliatur) sequitur non minor Ecclesiæ irreuerentia, cum per hoc faueatur reo in rebus pravis, & peccaminosis; & furi sic aliquid largiri, species furti sit, *l. si pignore, ff. de furtis*, & furis receptatium cum furto furtum quoque sit: quapropter licet quoad penam personalem pro reo Ecclesiæ, ne ei infligatur, intercedat, tamen quoad armorum prohibitorum, & rerum furtivarum restitutionem atinet, non intercedit, cum id ipsius rei non damnum, sed lucrum sit, quod nullo pacto convenit; quia Canones expressè præcipiunt, quod reus in quocumque euentu parti læsæ satisfacere debeat, *c. id constituimus, 17. quest. 4.* & alibi pluries.

Hinc minus probabile mihi videtur, quod docet Gambacurta loco supra cit. num. 14. 15. & 18. nempe quod possint semper satellites Curie secularis, quando reus est in Ecclesia, ne inde fugiat, brachio apprehensum illum tenere, donec licentia Episcopi obtineatur. Item quod possint semper, si quis Ecclesiasticus attenter, & quærat reum dimittere, & saluum facere non expectata licentia Episcopi, eum capere, & ab Ecclesia extrahere, & ad Episcopum ducere. Mouetur tum ob rationes supra dictas pro posteriori sententia; tum quia exinde passim multa scandala, & incommoda sequerentur in detrimentum reuerentiæ locis sacris debitæ sine necessitate; cum in securitatem Iudicum secularium aliud remedium adhiberi possit, scilicet ad Ecclesiam custodiam apponi, ne inde reus liber aufugiat; ita ut si extra fines Ecclesiæ exeat, capiat; cum in tali casu nulla vis inferatur existenti in loco sacro (ut esset in opposita sententia) sed solum custodiatur locus non sacer; ut si voluntariè eò ex Ecclesia deueniat, ibi teneatur, & sic vis ei inferatur in loco non sacro, ubi licitè inferri potest, ut supra dubit. 27. dicebamus.

DUBITATIO XXXI.

An possit reus in Ecclesia existens ad penam aliquam corporalem damnari? Vbi etiam, an possit saltem ad aliquam aliam? & per quem.

SUMMARIUM.

- 1 Reus dum in Ecclesia existit, morte vel pena aliqua corporali non damnetur per Iudicem seculari, neque etiam per Ecclesiasticum, quin potius de morte, debilitate, & omni penarum corporalium genere securus esse debeat.
- 2 Reus in Ecclesia affici potest solum pena pecuniaria.
- 3 Reus existens in Ecclesia damni non potest pena servitutis, exilij, aut triremis, quia sunt hæc valde graves pœnæ, & corporalibus æquiparantur.
- 4 Opinio Gambacurte, quod reus existens in Ecclesia possit puniri pena triremis, etiam in perpe-

truum, dummodo non debeat ibi remigare, re-
felleitur.

- 5 Item reuocatur etiam eius opinio de pena servitutis.
- 6 Dispositio capitis de raptoribus, 36. quest. 1. specialis est in rapto Virginis propter atrocitatem talis delicti, sed non est vbi recepta.
- 7 Confugiens ad Ecclesiam non est liberè dimittendus, sed de crimine, quod iniquè gessit, puniendus pena pecuniaria: quod si egeat aliquali pena corporali, non multum tamen corporis afflictiona.
- 8 Reus si nolit ab Ecclesia egredi, eo quod timeat Iudicem seculari sibi fidem non seruaturum, potest dicta pena puniri per Iudicem Ecclesiasticum, qui si omittat, peccat.
- 9 Reus existens in Ecclesia procurare debet ut Iudex Ecclesiasticus ipsum condemnet; quia sic à l. dice multatus non poterit amplius de eodem delicto ab illo accusari, inquiri, vel indicari.
- 10 Reus si Iudici seculari consignetur modo supradicto, Iudex secularis penam inferre poterit.
- 11 Reus, cum ad Ecclesiam confugit in casibus non exceptis, consuetudine receptum est, ut Iudex laicus seruatis seruandis contra eum delicto condignam, etiam capitalem proferat sententiam, quam tamen executioni non mandat.
- 12 In omnibus casibus in quibus confugiens ad Ecclesiam extrahi potest, non est seruanda fides super impunitate delicti.
- 13 Secus si de iure extrahi non poterat.
- 14 Opinio Sylvestri, & multorum Doctorum, quod confugiens ad Ecclesiam, licet postea ex illa egrediamur, immunitate semper gaudere debeat, reuocatur, exceptis quatuor casibus, ut ibi diffusius.
- 15 Reus confugiens ad Ecclesiam, licet non possit à Iudice laico spoliari bonis quæ possidet in Ecclesia; potest tamen spoliari bonis quæ possidet extra Ecclesiam.
- 16 Potest etiam dum existit in Ecclesia, affici pena bonorum, quæ possidet in Ecclesia, quin & omni alia pena, etiam capitali; quæ tamen, pro tunc quod Reus existit in Ecclesia, executioni non mandatur.
- 17 Non violatur immunitas Ecclesiæ, si reus, qui in Ecclesia captus fuit, & in carcere fori secularis nomine Episcopi detineatur, è carcere fugit, & postea ab eodem foro iterum capitur, & morti traditur, non expectata Episcopi sententia.

Respondetur, quod non possit reus, dum in Ecclesia existit, ad mortem, vel ad penam aliquam corporalem damnari, neque per Iudicem seculari, neque per Ecclesiasticum; sed quod debeat de morte, debilitate, & omni penarum corporalium genere securus esse. Atque ita habetur cit. cap. id constituimus, & in aliis multis, cap. 17. quest. 4. & in cap. inter alia, de immunit. Eccles. vbi explicat Abb. num. 3. monetque (quod est contra Cutellium loc. infra citando num. 23.) pecuniaria solum reum affici posse, sicuti colligitur ex verbis cit. cap. inter alia, ibi: Super hoc tamen, quod iniquè fecit, est aliàs legitimè puniendus. Idem contra Gambacurtam lib. 4. cap. 33. & 35. Cutellium de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 12. per totam, & Sarpum de iure Asylorum, cap. 2. fol. 30. docent Syluest. vero. Immunitas 3. quest. 4. Azor tom. 2. lib. 9. c. 9. quest. 12. & Suarez cit. cap. 12. vbi subdit, nec penam servitutis, exilij, aut triremis (etiam si vbi verberandus esset) decerni non posse; quia valde graves hæc pœnæ sunt, & corporalibus æquiparantur, immò earum quasdam excedunt. Idemque docent Salom. 2. 2. quest. 60. art. 4. controu. 2. Less. de iustit. & iur. lib. 2. c. 29. dub. 6. num. 52. Clar. in pract. crimin. quest. 30. Scortia theorem.